





24

DE
ICTERO
SPECIATIM EPIDEMICO

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

GRATIOSI ORDINIS MEDICI
CONSENSV

PR
GRADV DOCTORIS

D. X. IVNII MDCCLXI.

PVBlice DISPVTABIT.

IOANNES FRIEDERICVS HERLIZ

MVNDENSIS.



GOTTINGAE
LITBERRIS HAGERIANIS.



DE
I C T E R O
SPECIATIM EPIDEMICO

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

GRATISSIMO ORDINE MEDICI

CONSENSU

GRADV DOCTORIS

D. X. IVNI MDCCCLXII

AVGVSTI


IOANNES FRIEDERICVS HELIUS

AVGVSTI

AVGVSTI

GÖTTINGAE

LITTEAE HAEGERIANAE



DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
ICTERO
SPECIATIM EPIDEMICO.

§. I.

Specimen inaugurale pro more elaboratu-
ro mihi morbus regius dignus imprimis
visus est, qui accuratiori scrutinio subiicia-
tur. Quum enim per hiemem apud nos
epidemicum in modum saevierit, & adhuc
quoque saeviat in eos, qui tempestatis du-
ritiam forte non sine sanitatis iactura sustinue-
runt; atque egomet ipse ab hoc malo in-
tactus non remanserim non credidi, aliud
argumentum mihi magis tractandum, quam
hoc, competere.

A

§. 2.

§. 2.

Venit vero nobis nihil aliud sub icteri nomine, nisi illa cacochymia, qui in sanguine ab humoris biliosi copia nascitur & cum habitu corporis flavo coniuncta est. Varia id malum ab antiquis accepit nomina, dum & modo arcuati s. arcuati, modo regii morbi, modo auriginis nomine insignitur. Pro denominationum vero varietate variant quoque sententiae eorum, qui vocum origine inquirenda delectantur (a). Mittamus autem reliquas denominationes praeter icteri nomen, atque notemus eos, qui illud ab ictero, ave, galbula alias dicta, flavi coloris deducunt, veritati proxime accedere videri.

§. 3.

Ea vero est icteri ratio, ut signa eius pathognomica tam luculenter in oculos cadant, ut in hoc omnes fere reliqui morbi cedere ipsi cogantur. Nimirum flavedo ista, quae illum certissime probat, primum tunicam oculi albugineam occupat, deinde & alias

(a) Vid. *Q. Seren. Sammonius de Medicina praecepta*, edit. Robert. Keuchen, p. 34. 199. Rhod. lexic. scribon. p. 352.

alias partes, sic ut per totum corpus se demum dispergat, ac in fronte maxime conspicendum se praebeat. In urina quoque, quam icterici emittunt, flavus ille color se manifestat ac lintea, & quicquid in eam immittitur, tingit. Imo & serum sanguinis ex viridi flavescens linteamina imbuta tali colore inficit, per experimenta Exc. VOGELII. Salivae quoque ea fors est, ut morbi inclementiam experiatur, flavedineque inficiatur, quod vero non fit, nisi cacochymia summum attigerit gradum.

§. 4.

Sic vero morbus plerumque decurrit: in finis lassitudo corpus aliquamdiu occupat eorum, quibus icterus imminet: moerore conficiuntur, sitis & inappetentia eos torquet, interdum & levis febricula subgliscit. Porro vero somnus admodum turbulentus est, & sensus quidam gravitatis & stricturae circa praecordia praesto est, quae interdum ita augetur, ut suffocationis metum inferat; in primis tum, si quidquam ciborum, quos vero aegri praeter acidos valde fastidiunt, assumitur. Licet vero hic pressionis sensus

ilin

A 2

circa

circa utraque hypochondria animaduertatur, tamen potissimum dextrum occupat, ob morbi sedem in viscere illo magno hepatis. Efficat quoque ille pressiois sensus, ut difficile sit illis sedere, meliusque se habeant, cum corpore erecto esse possint. Interim non omnes de hoc sensu in hypochondriis conqueruntur. Iungit se his vomituritio, ad omnia fere, quae assumuntur, sive sint medicamenta, sive alimenta, quae interdum eum gradum attingit, ut in vomitum ipsum erumpat. Hicque ad vomitum conatus praecipue tum imperium exercent, cum alvus clausa est, multumque de vehementia amittunt, alvo magis ad officium redeunte. Alvus autem per totum morbum strictior est, & stercora prorsus gypsea secedunt, omnis foetoris expertia ac dura. Interdum hoc adfectus febricula comitatur calor nempe solito intensior, frigore intermixtus, quod in externis partibus sentiunt aegri, postquam liberiori se paulo audacius aeri exposuerunt. Interdum sub initium morbi diarrhoea sub deiectionibus spumosis se sistit, quam alvus penitus clausa excipit, quaeque per tres quatuorve dies durans sponte non solvitur, nisi

nisi auxilium adferatur. Nonnulli conquere-
runtur de pruritu in singularibus partibus,
maxime dorso, brachio, aut palpebris: &
hic ipse pruritus nonnunquam praecursor
morbi est. Urina saturate flava ac intense
rubra fluit, colorque ille parietibus vitri te-
naciter adhaerescit. Per priores dies nullum
sedimentum deponit; posthaec vero crassior
materies subrufa magna copia desidet;
haecque paulatim imminuitur & urina te-
nuiorem consistentiam acquirit, ruborem
suum paulatim exuens & magis flavescens
& pellucida redditur, sic ut morbi duratio
vel longior vel brevior inde quam certissi-
me praenosci possit. Crassum vero & sub-
rufum sedimentum in vasculis aliud excipit
subrubri & lateritii coloris. Somnus sub
initium morbi parvus est ac inquietus, inso-
mniis meticulosus interruptus; soluto vero
morbo multus, profundus, sub sudoribus
erumpentibus maxime horis matutinis. Mor-
bus vero unam vel duas hebdomades non
duravit, si recta ipsi medela allata fuit. Cri-
sis morbi in plerisque per urinam fit; in aliis
simul per alvi fluxum, quam etiam in me
ipso expertus sum. *Appetentia ciborum*

sensim redit. Lassitudo autem membrorum
 aliquamdiu adhuc remanet. Superato mor-
 bo alius interdum morbus cutaneus succe-
 dit, ceu ab Exc. VOGELIO animaduersum
 fuit, lentigo vel porrigo aut scabies, ubi
 pustulae fero pellucido subflavo repletae sunt,
 quae sub vesperam intolerabilem pene pru-
 ritum excitant, qui per totam noctem con-
 tinuat.

§. 5. *Supra diximus (§. 2.) icterum esse nil
 nisi speciem cacochymiae; hinc oportet il-
 lum esse magna affinitate coniunctum cum
 iis morbis, qui ad illud genus referuntur.
 Omnis quidem cacochymia se exerit in ha-
 bitu externo; quod & in ictero fieri obser-
 uamus, sed nullus morbus propius ipsi con-
 iunctus est quam icterus niger atque chloro-
 sis. Differt autem icterus niger a nostro,
 quem vel simpliciter icterum nominant, fla-
 vi cognomine designant, non nisi gravitate
 symptomatum, colore in nigrum ac viri-
 descensentem vergente, durationis longiore tem-
 pore & curationis difficultate. A chlorosi
 vero ita differt, ut haec sit tantummodo
 morbus mulierum, deinde ut flaveo nota
 icteri*

icteri essentialis, non occupet tunicam oculi albugineam, sed eam intactam relinquat, neque urina crocea existat.

§. 6.

Ea vero est morbi regii indoles, ut & ratione invasionis & ratione causae, durationis, sedis, multa singularia in eo veniant notanda; quae fundamentum praebent differentiarum, quas hoc respectu constituerunt medicorum scholae. Aggreditur enim homines ille, vel eo tempore, quo sanitate adhuc illaesa utuntur; tuncque icteri idiopathici nomen gerit: vel infestat homines, iam alio morbo correptos, ut, tertiana, acuta, hydrope, tuncque symptomatici nomine venit. Respectu symptomatum ea ita sunt comparata, ut vel facile sanationem recipiant, neque aegrum multum molestiae sentire sinant, cum signis externis bonis; vel difficulter cedant & maxima incommoda creent, cum signis externis malis. Si prius obtinet, flavus appellatur; si posterius, niger. Sed & respectu causae morbus recipit insignia discrimina. Quodsi enim hepatis inflammationi debetur, brevique terminatur,

RIN

tur, acutus; si a lapillis in vesica fellea, aut ductu choledocho, aut hepate ipso latitantibus, natales trahit, periodosque servat, chronicus sive periodicus; si vero in aeris temperie humida & vappida & crassiori diaeta, hepate vitio domestico carente, multos simul invadit, epidemicus nominatur. Si sanationem recipit, sanabilis; quod fere in omnibus nominatis speciebus contingit; si vero eam non recipit, insanabilis nomen habet; quod interdum ductus choledochi penitus concreti vitium est. Si febribus praesertim biliosis tempore critico h. e. die septimo accedit, criticus sive benignus, si vero die quarto aut quinto, malignus nuncupatur.

§. 7.

Nulla vero est aetas, nullus sexus, nullum temperamentum, quod dicunt, cui icterus parcat, ut neque tenelli recens editi ab eius saevitia tuti sint. Cum vix enim lucem aspiciunt, iam flavo colore tinguntur, qui vero meconio expulso statim evanescit. Imo matrem ictero infectam puerum mortuum eodem colore imbutum cum sanguine ossibusque flavis in lucem edidisse, KERCK-

RIN-

RINGIVS habet (a). Licet vero icterus omnes invadat; tamen ille, quem describimus, epidemicus adultioribus praecipue infestus est, qui crassiori victu utuntur & ob humidam tempestatem transpirationem non satis fovere possunt. Certe non leves causae nostrum epidemicum pepererunt. Tempestates humidae per autumnum & hiemem praecedentis anni, nec non per veris initium perpetuo fere viguerunt, & cives per plures menses non alia carne, nisi suilla aut salita bovina, uti sunt; quapropter & inter iniuriis tempestatis expositos praesidiarios nostros milites frequentes morbus valde saeviit & epidemicis quoque febribus acutis interdum se immiscuit.

§. 8.

Ad causas regii morbi nunc descendimus. Omnes fere & veteres medici & recentiores in eo consentiunt, bilis effusionem in sanguinem esse proximam icteri causam, sequentibus ducti argumentis: I.) in multis ictericis hepatis infarctus & obstructions reperiuntur, quorum quoque calculi atque

(a) *Vid. observ. Anat. 57.*

que lapilli in vesica fellea. 2.) Icterus non oritur nisi ab hepatis spastica constrictione. 3.) Hinc bilis in eo secerni non potest. 4.) Bilem vero in eo non secerni demonstrant digestio laesa, alvus clausa ob stimuli defectum, excrementa cretacea, non foetentia. 5.) Hinc regurgitare debet bilis in sanguinem eumque inficere colore flavo, qui est ictericorum. FRIED. HOFMANNVS a liquore nutritio flavo colore infecto ictericum colorem deducit. (a) At IOH. GEORG. A BERGEN dubia contra vulgarem sententiam movit (b), ostenditque multos esse ictericos, ubi nullum hepatis obstructionis vestigium adfit; qualia exempla apud PECHLINVM (c) LOSSIVM (d) RIVERIVM (e) exstant; 2.) ictenum esse iis potissimum infensum, qui ob vitae genus morbis primarum viarum obnoxii sint; 3.) hinc hepatis obstructionem, quae in ictero observatur, non esse causam icteri, sed effectum; 4.) Vrinam croceam non demonstrare bilis in sanguine abundantiam, sed

(a) Vid. eius *Med. rat. systemat.* Tom. IV. P. IV. p. 355.

(b) Vid. eius *diff. de bile icteri causa ficta.* Fxf. ad Viad, 1710.

(c) *Observ. Med. Phys. Lib. I. Observ. 58.*

(d) *Lib. III. observ. 39.*

(e) *Observ. Med. cent. II. observ. 9.*

sed tantummodo statum omnium humorum morbosum, qualis est in omni fere morbo; 5.) Non separari tantum bilis quotidie, vt sit ratio ad totam humorum massam; 6.) Humorum flavedinem, quam a bilis in iis copia vulgo deducunt, non esse coniunctam cum amarore, qui tamen fidelis comes est, si guttulae tantummodo paucae bilis cum liquore nostri corporis misceantur; 7.) Icterus ut aliam cacochymiam sanari; hinc illum illi morborum generi esse adnumerandum. Hisce ergo rationibus ductus iuit euidum; bilis effusionem non esse icteri causam proximam, sed, cum digestio altera non ita, ut debet, perficiatur, sanguinem in tam rubicundum colorem, quem naturalem esse videmus, non mutari, sed flavedinem permanere; quam icteri causam proximam constituit. Nos in praesenti inquirere non volumus, verane an ficta haec sint; sed causam proximam icteri esse adserimus, abundantiam particularum biliifarum in sanguine. Sub biliifarum autem particularum nomine illas ipsas intelligi volumus, sed tantummodo effectum, quem in corpore produnt, & voce hac non utimur,

nisi ut nos recepto mori loquendi accommo-
demus; quemadmodum Hippocrates spūta
quaedam biliosa, id vero est, non bile tin-
cta, sed flava velut bile imbuta nominat.

§. 9.

Cum vero causa proxima morbi semper
ab aliis producat, inquirendum nunc est
in illas; mediatas medicorum scholae ap-
pellant: atque videndum, quomodo sym-
bolam suam, ut ad omnem icterum, ita in-
primis ad epidemicum conferant. Sed, quum
iam vidimus (§. 8.) dari icterum, in quo
manifesta labes hepatis accusari potest, quam
solerti Anatomicorum industriae debemus;
dari vero quoque, in quo hepatis vitium
nullum adsit: duplicem causarum mediatarum
seriem statuere, incongruum non vide-
tur; quarum priorem idiopathicam vocabi-
mus, posteriorem vero consensualem.

§. 10.

Sub idiopathicarum icteri causarum no-
mine intelligimus eas, quae a structura he-
patis praeternaturali dependent. Quia vero
fabrica ista vitiosa obtinere potest partim cir-
ca

ca

ca vesicam felleam, partim circa ductus biliarios; partim vero in utrisque corpora alienigena haerentia mala ista, in quibus describendis versamur, gignere possunt, illa omnia ac singula consideranda nobis sumemus. Ad vitia igitur vesiculae fellis quod attinet, magnae, bile turgentis in icterico repertae exemplum habet MATTH. PAISENIUS (a); osseam eius cum pancreatis parte constitutionem in puella icterum insanabilem produxisse, RHODIUS scribit. (b) Ductus vero biliarios, hepaticos puta, cysticum & choledochum, vario modo a structura naturali deflectere, varia apud auctores extant exempla. Sic meatum vesicae felleae a carnea excresecientia obturatum in icterico obvium, NICOLVS vidit (c); BARTHOLINVS CABROLLIVS, a vitiosa figura ductus choledochi, maximi scilicet versus hepar, minimi, ubi se in duodenum infinuat (d); a ductu eodem presso a glandulis, quae in duodeno occurrunt, tumidis, morbum regium ortum

B 3

esse,

(a) *In miscell. cur. anno 4. § 5. observ. 194.*

(b) *Cent. 2. observ. 96. § cent. 11. observ. 30.*

(c) *Seff. V. cap. 2. artis. 3.*

(d) *Observ. 10.*

esse, BONETVS (e), scribunt. Neque minus hunc ductum praeternaturaliter concretum icterum secutum esse insanabilem, ad sunt exempla. Haec icteri a vitiosa hepatis vicinarumque partium fabrica orti exempla adduxisse sufficiat; sed praetereunda quoque silentio non sunt, quae de corporibus alienigenis, icteri causis, occurrunt. Sic lapilli numero 72. in vesicula fellea ictero defuncti minimarum fabarum vel pisorum magnitudine (f); & duo, qui ovi columbini figuram exscribebant, (g) reperti sunt; eosque lapillos superato morbo alvi profluvio exturbati, FERNELIVS (h) testatur. Vento quoque distentam quasi felleam vesicam interdum reperimus; & mucii viscosi coagula & vesicam & ductum choledochum obfidentia in ictericis frequenter nobis se offerunt.

§. II.

Hepatis vitia, quae modo attigimus & quae icterum gignunt, omnem omnino atten-

(e) in *sepulchret. anatom. Lib. III. Sect. 18. observ. 11.*

(f) Ex *observ. NICOL. GVIL. BEKKERS Med. Vienn. in miscell. cur. a. 1670.*

(g) *Cotter in libello Observat. Anatomicarum & Chirurgicarum.*

(h) in *pathol. L. VI. cap. 5.*

tionem merentur, neque hoc loco erant
 sicco pede transeunda, quia icteri chronici
 praecipuum sunt fundamentum; licet icte-
 rum epidemicum proprie non constituent,
 quippe qui ab aliis causis producitur, neque
 ab hepatis structura praeternaturali depen-
 det. In huius ergo causas nunc speciatim
 inquiremus. Non a vero nos aberrare cre-
 dimus, si a liquidis saponaceis vitiatis ex par-
 te eum derivamus, quorum nomine salivam,
 liquores gastricos atque bilem intelligimus.
 Isti cuncti humores ex aqua purissima, cui
 aliquid olei & salis tenuioris cum terra ad-
 mixtum est, constant, omnibusque adeo do-
 tibus instructi sunt, ad cibum manducatum
 & cum iis intime mixtum, solvendum, a-
 quea cum oleolis iungenda, & quicquid vis-
 ciditatis adhuc remanserit, abstergendum.
 Horum ergo vis solvens si destruitur quali-
 buscunque causis, tunc varia incommoda
 inde oriuntur, quo digestio ciborum & chy-
 lificatio laeditur. Quodsi enim cibus variae
 indolis atque naturae, duris, tenacibus, vis-
 cidis se offert menstruum vappidum, iisque
 sti ulis orbatum, qui requiruntur ad vin-
 cendam tenacitatem & cruditatem ingesto-
 rum,

rum, non potest non remanere aliquid, quod viribus liquorum solventium non subactum, parietibus ventriculi & intestinorum se applicet, cruditatesque pariat. Ex hac autem digestionem laesa pertinax chylicationis laesio propullulat, atque tum chylus partium depravatarum plenus humorum spissitudinem ingenerat, quae ad icterum producendum magnae sine dubio est efficaciae. Nam, si illa humorum spissitudo obtinet, secretiones & excretiones nunc protinus turbantur, sensimque inde cacochymia nascitur.

§. 12.

Sed illae quoque causae mediatæ in corpore oriri non possunt, nisi iam quaedam dispositio adsit, id vero est, proegumena causa, quae mediatas causas in sua actione iuvet, & cum his demum proximam producat, causam. Ad illas autem pertinent plethora, cacochymia & temperies. Si abundantia humorum in vasis adest, solidorum actio non est aequalis impulsui fluidorum, hinc relaxantur illa, secretiones & excretiones languent, humores impuri fiunt, stagnant; oriturque hic altera causa praedis po-
nens

nens nimirum cacochymia. Haec vero in corpore non adest, nisi sub conditionibus recensitis; quam in ictero adesse probant causae, quae eam inducunt, curandi ratio & effectus, quos is in corpore relinquit, nisi radicitus extirpetur. Huic autem causae accedit alia nempe intemperies humorum, qui prae omnibus aliis ingignendo ictero favet, eaque *pituitosa*. Eiusmodi enim corporis habitus omnino impar est ad causas nocentes subigendas: hinc in primis viis effectus eo luculentiores apparent, dum saburra mu- cida totum intestinorum canalem obducit & cum reliqua humorum massa se quoque coniungit.

§. 13.

Procatacticae causae multiplices hic ac- cusandae sunt:

I. Aer humidus, frigidus & vappidus, qua- lem inprimis per totam fere hiemem hoc anno habuimus. Talis enim aer solida rela- xat, excretiones intercipit, pituitam gene- rat: quam praecipue in ictero epidemico ac- cusandam habemus.

C

2. Ci-

2. Cibus & potus quoque in censum veniunt. Culpanda hic imprimis sunt legumina, carnes salitae, fumo induratae, caseus, panis recens coctus, non bene fermentatus: inter potulenta vero vina adulterata, copiosior spiritus vini, aquae usus. Cerevisiam quidem non rite praeparatam huc quoque referre possemus, nisi belli durities & incommoda nobis per hiemem eius usu interdixissent.

3. Motus nimius impetuose institutus, statim post assumptum cibum; vita otiosa, quieta, sub diaeta, quam tetigimus, quae digestionis incommoda auget, &, si nondum adsunt, inducit, solidorum tonum deicit & sic sensim ad icterum disponit.

4. Somnus nimium protractus, delasans, qui elaterem fibrarum minuit, & vigiliae nimiae, quae cachexiam inducunt.

5. Animi pathemata; imprimis diuturnae curae, moeror, tristitia, ira; quae vires frangunt, digestionis & chylificationis negotium turbant & laedunt. Haec ictero nostro ansam certissime in consortio ceterarum causarum praebuerunt.

6. Ex-

6. Excreta & retenta. Omnes excretiones tam nimiae, quam inprimis suppressae, humorum cum sanguineorum, tum serosorum magnum damnum inferunt. Augetur inde sanguinis in vasis abundantia & inferuntur simul damna, quae alias ex illa oriuntur, inprimis cacochymia. Sed quod icterus noster epidemicus a sanguinis excretionem suppressa proveniat, saltem ab ea foveatur, demonstrant excretus cum mucosarium sanguis, solutio morbi per narium haemorrhagias & experimentum casu factum, quod anxietates minutae fuerint, sanguine e vena misso, & quidem antequam icteri erupturi suspicio aderat.

§. 14. Neque vero sicco pede transeundae sunt causae praeternaturales internae. Sunt istae

1. Obstructiones, infarctus, inflammationes, scirrhi hepatis & vicinarum partium, lienis, pancreatis &c.

2. Dolores colici, a flatibus inprimis orti, spasmi a drasticis vomitoriis aut purgantibus nati.

C 2

3. Alvi

3. Alvi profluvia diuturna, periodica; quibus quisque fere per hiemem obnoxius fuit, qui praeter consuetudinem aqua pro potu uti cogebatur.

4. Venena varia, morsu viperarum aut aliarum animalium inserta.

5. Contusio vehemens externa, dextro inprimis hypochondrio illata (a), compressio viscerum abdominalium, ut in graviditate.

6. Febres intermittentes, biliosae, acutae, hydrops.

§. 15.

Sed cum causarum enumerationem absolvimus, descendendum est ad ea, quae ad symptomata spectant. Occupat primum totum corpus lassitudo, ob solidorum tonum deiectum; deinde circa praecordia, in hypochondrio dextro inprimis, sentitur tensio & anxietas, quae a constrictione hepatis aut inflatione intestini sine dubio dependet. Excipit hanc anxietatem vrina crocea, quae statum humorum prodit; & sequitur hanc
fla-

(a) Vid. ABRAH. VALERI dissert. de istero ex contusione dextri hypochondrii mox orto, ac per diarrhoeam criticam brevi soluto. Vitenberg. 1733.

flavedo in oculi tunica albuginea; quae
 eam ob causam hic primum apparet, quia
 ob albedinem color flavus, cacochymiae in-
 dex, se optime distinguit. Quia vero ad
 digestionem, chylicationem & alvum exo-
 nerandam omnino bilis rite praeparata re-
 quiritur; illa vero ob hepar affectum legiti-
 me perfici nequit, iam patet, cur alvus tar-
 da cum excrementis albidis, factoris exper-
 titibus sit symptoma molestum ictericorum.
 Febriculam vero, quae sese interdum adso-
 ciat illi, ab acrimonia humorum, omnis
 cacochymiae comite, pendere statuimus.

§. 16.

Vidimus hactenus, quid icterus sit; in-
 quisimus in causas ipsius; nunc etiam,
 quemnam exitum ille habeat, considerabi-
 mus. In eo omnes conveniunt & veteres
 & recentiores, vt in omni morbo, ita quo-
 que in ictero pro causarum, quae illum in-
 tulerunt, diversitate diversum de exitu iu-
 dicium esse ferendum. Si ille non a vitio
 domestico, quod sedem in hepate aut du-
 ctibus biliariis habet, v. c. lapillis, inflam-
 matione, ductu choledochi plane concreto,

ortum traxit, certissimi esse possumus, illum in salutem terminatum iri, dummodo adhuc sit recens. Si vero contraria ratio adest, contrarium quoque iudicium est formandum. Icterus vero hydropi & hydrops ictero accedens, semper lethalis exitus praefagia sunt. Febrem acutam si icterus excipit, nulla fere salus speranda est (a); quod vero non pro norma iudicii generalis habendum; nam *die septimo aut nono, aut undecimo aut decimo quarto quibuscunque icterus incidit, bonum est salutare, nisi dextrum hypochondrium obduruerit* (b).

§. 17.

Inter bona vero signa referri meretur, si morbus recens est, a vitio diaetae ortus, si iuvenes corripit, si tantummodo solitarius est, neque aliis morbis, praesertim chronicis supervenit. Si vero morbus iam est inveteratus, si a causa graviore inductus, si ab inflammatione, scirrho, perversa structura, lapillis hepatis ortus; si morbus post

(a) Vid. Hippocr. L. IV. aphor. 62. Quibuscunque per febres icterus ante septimum diem incidit, calamitosum.

(b) ibid. aphor. 64.

curationem iterum ingruit & color flavus
 in nigrum vergit, mala non praefagire non
 potest medicus. Si vero hectica febris aut
 enormis haemorrhagia morbum excipit,
 tum mortem in propinquo esse experientia
 testatur. Sed in ictero epidemico haec me-
 tuenda non sunt, cum tantummodo a fa-
 burra viscida, ductum choledochum &
 duodenum obsidente, proveniat.

§. 18.

Nunc me converto ad methodum icte-
 ro medendi. iam sponte patet illum esse
 oportere pro causarum diversitate diversis-
 simam; sed mittamus omnes alias morbi
 regii species & persistamus tantummodo in
 commemorandis iis, quae ad icteri epide-
 mici medelam spectant. Notavimus illum
 deberi colluviei viscidae duodenum ductum-
 que choledochum occupanti: hinc eluces-
 cit, ad curationem requiri,

1. ut viscida illa saburra e corpore remo-
veatur;
2. ut tonus partium restituatur.

§. 19.

19. Natura ipsa viam monstrat in icteri cu-
 ratione, cum eum plerumque alvi fluxu
 solvat; hinc eo tutius eam ingredi licet &
 sic primae indicationi satisfacere. Vinci
 vero prius istius materiae tenacitas debet,
 quam ipsa evacuetur. Hinc patet necessi-
 tas incidentium & resolventium. Laudem
 autem hic iam sibi pararunt inter vegeta-
 bilia radices resolventes pimpinellae albae,
 ari, gentianae rubrae, carlinae, cichorei,
 lapathi acuti, pareirae bravae, chelidonii
 maioris; quinque aperientes maiores & mi-
 nores ex aqua coctae aut ei infusae. Her-
 bae quoque amarae absynthium, centau-
 rium minus, carduus benedictus, marru-
 bium album, abrotanum, fumaria, eupa-
 torium, polium creticum magnam hic pa-
 ginam absolvunt, unacum tonicis & cale-
 facientibus, abrotano, botryte, chamaepy-
 te, calamintha, origano, rosmarino & ab-
 stergentibus ac resolventibus nonnullis, ut
 taraxaco, saponaria, fecali, persicaria. Se-
 mina dauci, foeniculi, coriandri, aquilegiae,
 & inprimis cannabis cum lacte cocta icteri
 quasi antidoton ex SYLVII observatione,
 ma-

maximam commendationem merentur. Salia denique neutra, tartarus vitriolatus, tartarifatus, sal ammoniacum, terra foliata tartari, cum, ut omnia salina, mucum incidunt. pituitam resolvunt, in nostra affectione insignem vtilitatem adferunt. Ex compositis autem praestantissima sunt liquor terrae foliatae tartari, sapo venetus, elixir proprietatis & aperitivum Clauderi.

§. 20.

Praemissis incidentibus, evacuatio ipsa instituenda est. Haec vero fit vel per vomitum, vel per purgationem alvi, vel per sudorem, vel per diuresin.

§. 21.

Vomitoria magnam adferunt vtilitatem in quibusdam, qui ictero epidemico laborant. Ea enim est eius natura, ut vomitu solvatur, conatibus ad vomitum perpetuo fere urgentibus. Sed cum color flavus adhuc intendatur post exhibitum vomitorium; porro vero exempla icteri protracti prostant; licet vomitoria sint exhibita; & longe mi-

D tio-

tioribus remediis evacuantibus profligare illum queamus: longe melius esse putamus, si ab illis abstinemus. Concedi tamen sub hac cautione possunt, ut dosi parca exhibeantur; praecipue radix ippecacuanhae cum sulphure antimonii tertiae praecipitationis aut radice squillae praeparata.

§. 22.

Longe vero maiorem fructum nobis promittimus de laxantibus sic dictis antiphlogisticis. Classem hic imprimis ducunt cremor tartari, salia media, Epsoniense, Sedlicense, polychrestum Seignette ad ʒiʒ pondus; cum enim ista blande evacuent, spasmos tollendo, pituitam incidendo prae ceteris laudem merentur. Laxantia quoque tamarindinata, sennata, mannata, rhabarbarina, cum salium mediorum stimulo acuata, omni commendatione digna sunt; tantum vero abest, ut purgantia fortiora in hunc censum veniant, ut potius canepius & angue sint fugienda.

§. 23.

§. 23.

Sed per sudorem quoque morbus regius sanationem recipit; remedia tamen, quae hunc in finem propinantur, lenissima esse debent. Sudorem vero ictericis movere, eam ob causam bonum est, quia natura ipsa hanc viam ingreditur, & sudoribus nocturnis, qui fideles comites ictero adhaerent, quicquid morbi restat, solvunt, Effentia alexipharmaca Stahlī, scordii, centaury minoris huic indicationi faciunt satis, quia incidendo pituitam vasculorum obstructions aperiunt, & humorum circulum reddunt liberiores.

§. 24.

Superest, ut quoque de iis aliquid monemus, quae sub nomine diureticorum nota ad icteri sanationem aliquid conferunt. Laudamus hic tantummodo ea, quae mitissimum effectum edunt, e. g. radices urticae maioris, ononidis, chelidonii maioris, rubiae tinctorum, millepedes & crocum; praecipue vero nomen sibi paravit cannabis semen cum lacte coctum, quod Exc.

VOGELIUS in nostro ictero epidemico
praestantissimum invenit.

§. 25.

Ad quaestionem de venae sectione quod
attinet, an illam in ictero admittere profi-
ciat, nec ne? respondemus, illam in prin-
cipio morbi celebratam prohibere, quo mi-
nus anxietates illae & circa praecordia ten-
siones tantum gradum attingant, ad quem
illa ommissa perveniunt, si subiecta nimirum
sint plethorica. Morbus etiam regius cum
a plethora originem saepe ducat, sponte
patet, maximi esse usus sanguinis missio-
nem ad praeventendam morbi invasionem.

§. 26.

Alteri indicationi, nimirum ut tonus
partium deiectus restauretur, faciunt satis
medicamenta ex ferro parata, uti tinctura
martis Ludouici, pomata, Zwelferi, aquae
minerales eodem principio scatescentes, uti
Pyrmontanae; porro cortex Peruvianus in
decocto aut pulvere & cascarillae atque
frangulae eodem modo exhibitus. Absol-
vunt

vunt etiam simul hanc indicationem multa ex superioribus tonica & calefacientia (§. 19.).

§. 27.

Sed externa quoque remedia spernenda non sunt, cuius generis sunt epithemata & clysteres. Illa tepide applicari solent regioni praecordiorum ad spasmos & vomitus leniendos; & commendat hunc in finem B. HOFMANNVS vesicam floribus chamomillae vulgaris, sambuci, millefolii &c. ex lacte coctis refertam. aliaque id generis plura. Hi vero ob maximam alvi tarditatem maxime commendabilia sunt; quum symptomata omnia, soluta alvo. mitigentur valde. Ferunt hic prae caeteris punctum flores tiliae, sambuci, papaveris rhoeados ex lacte cocti, admixta pinguedinis vel olei chamomillae cocti sufficiente quantitate.

§. 28.

In omnibus vero morbis longis, ut diaceta conveniens & exquisita maximam curationis paginam absolvit; ita quoque in icte-

ro maximi est momenti. Evitentur ergo omnia ea, quibus in causis occasionalibus icteri ortum tribuimus, cibi duri, fumo indurati, caseus, legumina, largior spiritus vini usus; sit contra diaeta tenuis, largus potus, motus corporis paulo fortior; absint omnes curae, studia, moerores, tristitia. Omnia ad animum exhilarandum sint apta; & cum vinum fuget curas, concedi illud in prandio quam commodissime potest.



ed.



00 A 6300

ULB Halle 3
003 637 115



5b.

09.03.01.





DE
ICTERO
SPECIATIM EPIDEMICO

IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
CONSENSV

PRO
GRADV DOCTORIS

D. X. IVNII MDCCLXI

PVBLICE DISPVTABIT

IOANNES FRIEDERICVS HERLIZ

MVNDENSIS.



GOTTINGAE

LITRERIS HAGERIANIS.



B.I.G.

Farbkarte #13